

basali instructo; hemielytris lateribus late arcuatis, embolio linearis, incrassato et reflexo, cuneo fortiter declivi, latitudine basali fere breviore; coxis anticis brevibus; pedibus modice gracilibus, tibiis subtilissime pubescentibus, muticis, tarsis modice brevibus, articulo primo fisso, secundum usque ad medium ejus includente, tertio oblongo, versus apicem modice incrassato, aroliis cum unguiculis connexis, his apice libero uncinatis.

Generi *Aspidobothrys* m.¹⁾ affinis, differt autem capite latitudini cum oculis aequo longo, apice pronoti strictura bene discreta annuliformi destituto pedibusque longioribus, minus robustis, tibiis subtiliter pubescentibus, tarsis magis elongatis; a genere *Pachymerocerus* m.²⁾ structura antennarum, rostro breviore, strictura pronoti apicali postice haud discreta distinguendus; a genere *Tenthecoris* Scott basi clypei in medio capitidis a latere visi posita, rostro aliter constructo, tibiis pallido pilosulis divergens.

Dichroocoris coeruleipennis n. sp. Sat breviter ovatus, inferne niger, nitidus, capite, pronoto et prosterno flavo-aurantiacis vel obscure ochraceis, oculis nigris, rostro picecenti-rufo; pedibus cum coxis totis lividis vel albido-flaventibus; scutello hemielytrisque valde nitentibus, cyaneis, membrana decolore, sordide albicante, venis areolaque nigris; vertice oculo circiter triplo latiore; pronoto disco postico crebre sat subtiliter punctato; hemielytris laevibus, subtilissime griseo-pubescentibus; pedibus pallido-pubescentibus. ♂. Long. $3\frac{1}{2}$, lat. hemielytrorum $1\frac{4}{5}$ mm.

Orizaba, m. Maji, 1 ♂.

Tenthecori generoso (Stål) sat similis, sed minor, pedibus pallidis notisque genericis mox distinguendus.

Sisynas Dist., Reut.

Reut., Caps. in Bras. coll., 1907, p. 36.

Sisynas limbaticollis n. sp. Oblongus, niger, nitidulus, capite, clypeo vertice que toto vel limbo basali exceptis, limbis lateralibus usque in stricturam callisque pronoti, prosterno, limbo coxali hemielytrorum anguste pedibusque cum coxis sordide lividis vel pallide lutescentibus, tibiis apice (posticae desunt) tarsisque fuscis; hemielytris nigris, sublaevibus vel omnium obsoletissime punctulatis, membrana tota nigricante; capite basi pronoti circiter $\frac{1}{3}$ angustiore, oculis levissime retrorsum vergentibus, vertice oculo vix duplo et dimidio latiore, fortiter convexo, maris medio distinete impresso; rostro apicem coxarum antecarum attingente, nigro-piceo, articulo secundo maris parallelo, primo aequo longo et duobus ultimis simul sumtis distinete breviore; antennis fere ad tertiam apicalem partem marginis interioris oculorum insertis, articulo secundo primo aequo crasso, latitudini verticis oculique unici aequo longo; pronoto latitudine basali circiter $\frac{3}{7}$ breviore, disco postico leviter convexo et apicem versus leviter declivi, sublaevi vel obsoletissime punctulato; limbo basali versus latera nonnihil adpresso; scutello hemielytrisque sublaevibus, illo impressione distincta trigona basali. ♂. Long. $7\frac{1}{3}$, lat. hemielytrorum $2\frac{2}{3}$ mm.

Orizaba, m. Junii, 2 sp.

Mala Dist.

Generi *Neofurius* Dist. simillima, differt corpore superne toto cum scutello hemielytrisque nitido, capite a supero viso inter antennas magis prominulo, latitudini inter-

¹⁾ Hem. in Brasil. coll., 1907, p. 33.

²⁾ Ined. typus: *Eccritotarsus Fairmairei* Stål.